

tenuerant: alios, qui post adversam pugnam errabant per agros omnium egeni, fuisse cibo et potu recreatos, propter decantatos ejus versus aliquos. Erant quippe Siculi prae caeteris Graecis studiosissimi atque appetentissimi tragoediarum Euripidis: quarum si quid afferretur ab iis, qui in insulam appellebant, illud avidè arripiebant, laetique secum invicem communicabant. Quin etiam memoriae proditum est, quum navis Caunia, quam lembi praedatorii premebant, ad Siculum littus confugisset, Siculos primo noluisse eam recipere: at ubi interrogati Caunii, an nossent Euripidis carmina, se nosse, responderunt; tum vero liberum eis receptum patuisse.

CAPUT VIII.

LITTERAE ORNAMENTA HOMINUM SUNT ET SOLATIA.

1. Si non hic tantus fructus ostenderetur, et si ex his studiis delectatio sola peteretur; tamen, ut opinor, hanc animi adversionem humanissimam ac liberalissimam judicaretis. Nam caeterae res neque temporum sunt, neque aetatum omnium, neque locorum. Haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent; delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

Si te ad studia revocaveris, omne vitae fastidium effugeris: nec noctem fieri optabis taedio lucis, nec tibi gravis eris, nec aliis supervacuus. —

Videmus litteras et ingenuas artes non solum beatae vitae oblectationem esse, sed etiam levamentum miseriarum. Itaque multi quum in potestate essent hostium aut tyrannorum, multi in custodia, multi in exilio, dolorem suum